

rum. Consulto autem prætermittam nonnullas difficultates, quæ in primo Ecclesiæ sæculo vulgo ventilari solent, videlicet, de anno, quo Christus Dominus noster natus, baptizatus, & mortuus est; quia ejusmodi difficultates jam discussi, & plenissime elucidavi in Tractatu, quem edidi, de *Mysteriis & annis Christi*. Missas etiam faciam quæstiones, quæ spectant libros sacros novi fœderis, eorumque Authores, qui afflati Spiritu Sancto cælestem doctrinam in primo Ecclesiæ Sæculo literis consignarunt. Has quippe quæstiones tam late expendi in alio Tractatu, quem publica luce donavi, de *Scriptura Sacra*, ut otio lectoris abuterer, eique iteratis repetitionibus fastidium ingererem, si denuo eas hic excutiendas susciperem. Nunc igitur permittamus vela ventis, Deumque Optimum Maximum obnixè deprecemur, ut cursum nostrum splendidissima gratiæ suæ luce dirigere, ac bene fortunare dignetur.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo describitur Historia Persecutionum, quæ tribus prioribus Sæculis Ecclesiam exagitarunt, & texitur series Imperatorum, qui tribus primis Ecclesiæ sæculis summa rerum positi sunt.

MAGIST.



Vis tuis abunde me fecisse satis aurumo, dum in his, quas non multos abhinc annos publici juris feci, lucubrationibus, omni argumentorum genere adversus Judæos,

& Ethnicos evici, Jesum Christum esse verum Messiam Prophetarum vaticiniis prædictum, totamque Servatoris nostri, Deumque inter & homines Mediatoris vitæ Economiam, mortem, ad vitam reditum, & gloriosum in Cælos ascensum lato calamo sum prosecutus. Superest nunc, ut difficultates, si quas inter legendum nactus es, quæ tibi aliquid negotii facebant, in istis, quæ mox instituimus, litteratis colloquiis singillarim mihi proponas, ut his semel discussis atque dilucidatis, major tibi lux affulgeat, & omnis tuo adhuc hærens animo scrupulus, admota veritatis luce penitus eximatur.

D. Tam expedita methodo Mysteria Jesu Christi Servatoris nostri pertractasti, sinistras interpretationes, quæ obstinati Judæi utuntur, ut sacra Prophetarum de venturo Messia Oracula perperam detorquere, & in Christo fuisse completa inficias ire possint, tam solide confutasti; postremo, Ethnicorum, aliorumque hujus furfuris hominum, qui, ne Christum esse verum Messiam fateri cogantur, omnem omnino Revelationem, Inspirationem, Antiquitatem, & Autoritatem Sacrorum cum veteris, tum novi fœderis librorum impie negare præsumunt, decantata sapius argumenta ea perspicuitate elisisti, ut uberiori explicatione opus in præsentia non habeam, sed, sicut vulgari fertur Adagio, *nare sine cortice* possim. Quocirca te etiam atque etiam rogo, ut me, Mysteriorum Jesu Christi veri Messia notitia plene imbutum, Historiam Ecclesiæ, quam suo pretioso sanguine fundavit Christus Dominus, edocere pergas, delibando, ac summam attingendo omnia, quæ a jactis Ecclesiæ fundamentis ad hanc usque ætatem scitu digna contigerunt, quæque a Scriptoribus probatissimæ fidei memoriæ prodita sunt, ac litteris consignata.

M. Rem sane arduam, aleæque plenam postulas, dum universam, quam late patet, Historiam Ecclesiasticam, me ductore, perlustrare desideras. Non possum tamen quin laudabile istud, quod te Historiam Ecclesiasticam addiscendi incessit studium, vehementer meo calculo appro-

bem. Quæ enim, amabo, doctrina homini Theologo cordi magis, ac curæ esse debet, quam Religionis antiquitatem inde usque a Christo profectam callere, quam veterum Sacrorum Monumentorum replicare memoriam, Ecclesiæque fastos sapius lectitare, ut ex his fontibus haurias consulta Patrum, Conciliorum Decreta, Edicta Pontificum, Martyrum Acta, illustria veteris Sanctitatis exempla, Ecclesiæ Doctorum immortalia facta, Majorum instituta, leges, Cæremonias, Sacrorumque Religiones, aliaque id genus bene multa, quæ sacræ doctrinæ studiosis pietatem, & eruditionem instillare possunt? Tuæ igitur utilitati consulturus hanc operosam licet, meisque viribus imparem provinciam suscipio, & quia perspicuitas cum brevitate conjuncta tibi in amore est, id pro virili agam, ut breviter juxta ac dilucide disferens, viam facilem sternam, qua totam possis inoffenso pede decurrere Historiam Ecclesiasticam.

D. Bene habet. Facis omnino ut decet optimum Magistrum. Sed obsecro te, pro ea singulari, qua me dignaris, benevolentia, ut mihi in primis exponas, quænam fuerint Ecclesiæ incunabula, primordiaque? qui progressus, & incrementa? qui casus, laboresque? quibus defuncta periculis fuerit? quibus fundata legibus, quibus sanctionibus firmata? quot emerferint Hæreses? quot ad illas profigandas celebrata Concilia? quibus gradibus fluxa illa, solutiorque, quæ postea increbuit Disciplina, a primitiva desciverit. De his omnibus in quibus, ut candide fatear, peregrinus plane, & hospes sum, a te erudiri percipio: nam nudius tertius in celebri virorum doctorum corona de his interrogatus hæsi ad aquas, ac ne verbum quidem ullum ignorantia meæ probe conscius hircere, aut musitare potui.

M. Ut pedetentim progrediamur, operæ pretium est, ut in antecessum scias, quod Ecclesia, cujus fundamenta jecit Christus Dominus, & quam Apostoli per totum pene Imperium Romanum propagarunt, doctrinam fidei, & morum, quam ab ipso Christo omnium Gentium Doctore accepit, ad nos usque fartam rectam jugiter conservavit. Tentarunt quidem, immo omnem moverunt lapidem, Ethnici Imperatores, ut nascentem Ecclesiam quasi in cunis præfocarent, ferro, flammaque sæviendo in Christianos. Quin, & ipsamet Ecclesia perduelles interdum peperit Filios, qui virulentas doctrinas, seu Hæreses, diraque Schismata invehentes, viperino dente ejus si-

A 2 num

007397

num profciderunt, ejusque inconsumibilem tunicam varias in partes distraxerunt. Infernus denique quosdam male feriatos evomuit homines, qui typho superbiae tumidi, philosophia armati, instructi eloquentia, favore Principum formidabiles contra Ecclesiam aperto Marte vexillum erexerunt, illiusque sacrosanctam auctoritatem facta manu, atque conglomerato agmine oppugnarunt. At tamen, juxta Christi Domini Oraculum, Portæ Inferi adversus Ecclesiam conjuratae prevalere haud poterunt. Stetit semper invicta Sponsa Christi tutissimo sanæ doctrinæ munita præsidio, avita ipsius fides sacris Conciliorum definitionibus, quibus furentium Hæreticorum repressa est audacia, permansit illibata, ac perdoctis Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum illustrata operibus, gloriosum de his omnibus, qui in ejus perniciem certatim conspirabant, triumphum reportavit.

D. Crassiori, si placet, Minerva exponas mihi velim, quid sit Ecclesia? quarumve rerum notitiam præcipue complectatur Historia Ecclesiastica?

M. Ecclesia, sicut in confesso est apud omnes Catholicos, est Cæus Fidelium baptizatorum, qui sub legitimis Pastoribus uni Supremo visibili Capiti in terris, seu Pontifici Romano, subordinatis congregantur, quique spe æternæ beatitudinis consequendæ, Charitatis vinculo, ejusdem fidei, & doctrinæ professione, cultus externi, & signorum sensibilium, seu Sacramentorum participatione tanquam ejusdem Corporis Mystici membra connectuntur. Hæc Ecclesia est una, Sancta, Catholica, & Apostolica, sub Capite suo visibili Romano Pontifice semper indefectibilis, Traditionis Custos, omnium Controversiarum Judex. Complectitur in suo gremio Peccatores ut membra languida, & infirma, arcet a sua Communione Hæreticos, Schismaticos, & Excommunicatos, atque inter cæteros veritatis characteres, quibus ejus doctrina insignitur, hic unus instar omnium est, quod non vi armorum instituta, constata, ac propagata fuerit, non fluxus vitæ delictis, non humanæ eloquentiæ lenociniis in Orbem inducta, sed ab Apostolis, nempe duodecim Piscatoribus, qui alios fallendi, ac fraudes concinnandi artem penitus ignorabant, simplici, rudique sermone prædicata, ad extremos Mundi fines tam felici exitu brevi tempore diffusa sit, ut iidem Piscatores omnibus exosi, omnique prorsus humano destituti præsidio, Philosophorum supercilia, Oratorum eloquentiam, Principum sceptrum subjugarint, & pro defensione doctrinæ, quam prædicabant, atque innumeris miraculis confirmabant, acerbissima tormenta, mortemque ipsam constanter oppetentes, induxerint mortales vitis, & Idolorum cultui deditos ad amplectendam Fidem Mysteriorum, quæ rationi impervia sunt, & perpetuum sensibus bellum indicunt. Hic fuit Ecclesiæ triumphus, qui magis ac magis resplenduit in variis persecutionibus, quibus Ethnicis Imperatores, & nefarii Hæretici eam exagitarunt. Ethnicis siquidem Imperatoribus Christianorum sanguinem ubique effundentibus miram dumtaxat patientiam, summamque in adversis æquanimiorem opposuit Ecclesia. Ad compescendos vero tumultuantium Hæreticorum

impetus non arma sumpsit, sed Sanctiones Summorum Pontificum, & Conciliorum adhibuit, quibus antiquæ fidei, morumque doctrinæ optime consultum est, extinctæ Hæreses, sancita disciplina, conditæ Regulæ pro pacifico ipsius Politico, seu externo Regimine, cui viri doctrina, & pietate conspicui maximum splendorem omni ævo contulerunt.

Harum rerum notitiam præcipue complectitur Historia Ecclesiastica. Quapropter in hisce Colloquiis Ecclesiasticis primum tibi ob oculos ponam statum seu conditionem Ecclesiæ in singulis sæculis sub Imperatoribus, aut Principibus sive Ethnicis, sive Christianis. Dein, continuam, & nulla temporum serie ab ipsis Apostolorum temporibus interruptam exhibebo Episcoporum in præcipuis Sedibus successionem. Postea, omnia dissidia, quæ circa doctrinam, & disciplinam exorta sunt, necnon Concilia, quæ illis enatis litigiis ultimam diem imposuerunt, referam; omnium Hæresum initium, progressum, casum, atque interitum compendiose narrabo; vitam Illustrum Virorum, qui doctrina, & vitæ sanctimonia variis Ecclesiæ temporibus floruerunt, delibabo; doctrinæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ, juxta sæculorum seriem, Synopsim exhibebo. Horum omnium notitia tibi ad studium Historiæ Ecclesiasticæ animum appellenti, multam, ut spero, lucem circa præcipua illius capita affundet, & non contemnendam suppetabit eruditionem. Dabo autem operam, ut ea, quæ in medium adducam, facta historica, sint extra omnem dubitationis aleam posita, testesque habeant locupletissimos, & omni exceptione majores. Si quæ tamen interdum proferam, quorum fides nutare possit, ea indicare haud pigebit, ne dubia, & incerta, pro-certis & indubitatis obtrudere, & promiscue in eundem fasciculum congerere videar: Quæstiones etiam, quæ ad Criticos, & Chronologiæ disciplinam spectant, obiter, & quasi primoribus labiis, ne tibi fastidium ingeram, attingam. Tu interim fac, ut arrectas aures, & animum præbeas attentum, totusque in eam curam incumbas, ut me de singulis apposite interroges, nihilque, quod non fuerit plene, planeque discussum, prætermittas.

D. Mirum! quantum mihi arrideat tam expedita methodus, tamque accommodata captui juvenum, qui Historiam Ecclesiasticam necdum a limine salutarunt. Me plane beasti, ac nunc gestit animus te secretiora Historiæ Ecclesiasticæ pandentem arcana abjecta omni cunctatione auscultare.

M. Age ergo auspicemur a tribus prioribus Sæculis, & in isto colloquio sermonem instituamus de variis persecutionibus, quibus ab Ethnicis Imperatoribus fuit agitata Ecclesia.

D. Ediffere, quaeso, quo loco fuerint res Ecclesiæ in tribus primis Sæculis.

M. Jam a me audisti, quo pacto Apostoli præcepto Christi Domini morem gerentes, per varias Imperii Romani Provincias doctrinam ipsius infracto, alacrique animo promulgarint, Ecclesias ubique constituerint, & innumeros pene homines densissimis Idololatriæ tenebris immerfos ad fidem Christi adduxerint. Porro, vix credi potest, quor,

& quan-

& quantas tragœdias ad impediendas doctrinæ Christianæ ab ipsis Apostolis, eorumque Discipulis difseminatæ propagationem excitarint Ethnicis, qui a falsa Religione, quam a suis Majoribus acceptam cum lacte fuxerant, nullo pacto abduci poterant. Politicis siquidem consiliis adducti Principes, & Populi vanis, impiisque superstitionibus a Diabolo delusi classicum canere cœperunt, & adversus Sacri Evangelii Satores furis investiti insurrexerunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut nascentem Ecclesiam opprimerent, atque exterminarent.

Nero scelestissimus post hominum memoriam Imperator, omnium Christianæ Ecclesiæ Persecutorum agmen ducit. Ille quippe sibi male conscius Tyrannus, omnibusque invisus, quod ardentem Trojam, uti a Poetis depingitur, adspectare cupiens, Romam incendisset, in Christianos culpam derivavit, iis crimen suum affinxit, atque crudeliter in eos exercuit lanienam. Alios siquidem ferarum pellibus tectos a bestiis membratim discerpandos curavit; alios pice, sebo, & adipe illitos pro facibus ardere iussit, & feralem nocturnis spectaculis exhibere lucem. Hanc a sæculis inauditam Neronis immanitatem Cornelius Tacitus lib. 15. Hist. Roman. exprimit his verbis: *Neque ullare Nero efficebat, quin ab eo iussu incendium putaretur. Igitur, vertit invidiam in Christianos, atque in innoxios crudelissime quæstiones. Quin & novæ mortes excogitavit, ut ferarum tergis contecti laniati canum interirent. Multi Crucibus affixi, aut flamma usi. Plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urentur.* Hæc Neronis persecutio in Christianos ardere cœpit anno Christi sexagesimo quarto, qui connectitur cum anno undecimo Imperii Neronis, qui eodem anno Imperii sui Decennalia celebravit, sicut diferte ostendit Antonius Pagius in sua Critica Baronii ad annum Christi 64. Imperii vero Neronis undecimum.

D. Quid sibi volunt illa Decennalia, quæ Nero, ut mox dixisti, dedit anno undecimo Imperii sui?

M. Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperatorum suam habuerunt originem ab Imperatore Augusto, teste Dione lib. 53. Augustus quippe Imperium sibi omnium suffragiis adjudicatum, non perpetuum esse voluit ad magis sibi conciliandum amorem Populi Romani, sed illud tantum ad decennium assumpsit, quo exacto, accedente denuo Senatus, Populique Romani consensu, in quinquennium prorogavit, denique in plura decennia retinuit. Hoc Imperatoris Augusti exemplum imitati alii Imperatores, Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperii sui solenni pompa celebrarunt. At enim in his solemnibus Imperatores Ethnicis novum Consulatum inibant, nova Tempa consecrabantur, vel dedicabantur, Edicta in favorem Religionis, vel boni publici promulgabantur, persecutiones in Christianos indicabantur, vel, si jam motæ essent, ingravescebant; tributa tollebantur, aut laxabantur, Donativa Militibus, ac Populis dabantur, rei e carceribus dimittebantur, a præclarissimis Oratoribus Panegy-

Græves. Hist. Tom. I.

rici de Imperatoribus publice recitabantur, Convivia, Epulæ, Spectacula celebrabantur cum votis solemnibus, ludis, Circensibus, Gladiatoris, amphitheatralibus, Scenicis, Thimeliacis, & Sacrificiis, quæ vulgo *Hecatombæ* appellabantur, in quibus centum Hostiæ ad Aram mactabantur. Hunc morem etiam celebrandi Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & Vicennalia Imperatorum, pace per Constantinum Imp. Ecclesiæ reddita, retinuerunt Imperatores Christiani, cum hoc tamen discrimine, quod antiquato superstitione Idolorum cultu, ad Aram Dei Opt. Max. pro Decenniis, & Vicenniis suis Sacrificia offerebant, vota nuncupabant, Edicta pro Christianæ Religionis propagatione promulgabant, & Gladiatorum ludis omittis, vero Deo Tempa extrui jubebant, ac Deorum Delubra solo æquari. Nero igitur, cum Decennalia Imperii sui celebrare debuisset anno decimo Imperii sui, ea uno anno dilata dedit anno undecimo Imperii sui, eaque ut celebriora redderet, immanem in Christianos persecutionem excitavit.

D. Fuit ne universalis hæc Neroniana persecutio?

M. Hanc Neronianam persecutionem fuisse universalem, & non tantum Romæ, sed in omnibus Imperii Romani Provinciis longe lateque grassatam fuisse, luculenter colligitur ex *Lactantio*, qui lib. de mortibus Persecutorum cap. 2. hæc habet de Neroniana persecutione: *cum animadverteret, (Nero) non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad Religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat execrabilis, ac nocens Tyrannus, profilivit ad excindendum Cælesti Templum.* Idem testatur Paulus Orosius, qui lib. 7. cap. 5. hæc scribit: *Primus (scilicet Nero) Romæ Christianos supplicii, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciat imperavit: ipsumque nomen extirpare conatus, Beatissimos Christi Apostolos Petrum Cruce, Paulum gladio occidit.* Fuit igitur universalis Neroniana Persecutio?

D. Quo Imperii Neronis anno Petrus, & Paulus morti fuerunt traditi?

M. De anno Imperii Neronis, quo Petrus, & Paulus morti traditi sunt, non una omnium est sententia. Censet in primis *Eusebius*, Petrum, & Paulum martyrio Romæ fuisse coronatos anno decimo quarto exeunte Imperii Neronis, seu anno Æræ Christianæ sexagesimo octavo. Sed hæc sententia omni probabilitate caret, quia annus decimus quartus Imperii Neronis, sicut omnes ad unum fatentur periti Chronologi, cœpit die 13. Octob. anni sexagesimi septimi Æræ vulgaris, Consulibus *L. Fontejo, & Cajo Julio Rufo*, finemque accepit die 9. mensis Junii, Æræ vulgaris, seu Christianæ, sexagesimi octavi, Consulibus *C. Silio Italico, & M. Galerio Turpiliano*. Hæc siquidem die nona Junii sibi necem conscivit Nero. Cum igitur ex perpetua Ecclesiæ Romanæ traditione, & ex omnibus Calendariis cum antiquis, tum recentioribus certissime constet, Petrum, & Paulum martyrii palmam fuisse adeptos sub Nerone die 29. mensis Junii, manifesto sequitur, Petrum & Paulum morti non fuisse traditos anno decimo

A 3

decimo quarto exeunte Imperii Neronis, seu anno Christi sexagesimo octavo. *Baronius* autumat, *Petrum*, & *Paulum* martyrium Romæ subisse anno decimo tertio exeunte Imperatoris Neronis, seu anno Æræ Christianæ sexagesimo septimo. Sed hæc *Baronii* opinio nihilo præcedenti probabilior est, quia Nero toto hoc anno decimo tertio Imperii sui in Græcia commoratus est, Romamque dumtaxat rediit anno Æræ Christianæ 68. Consulibus *C. Silio Italico*, & *Galerio Turpiliano*, quos ipsemet Nero Consulatu abdicavit, seque Consulem creavit, & omnem Senatam veneno tollere in animum induxit, sed desperans de successu, & ab omnibus plane desertum se videns fugam arripuit, seque proprio mucrone confodit die 9. mensis Junii ejusdem anni æræ Christianæ 68. sicut ex *Dione*, & ex *Joanne Xiphilino* luculenter probant *Antonius Pagi* ad annum Christi 67. & *Bollandus* tom. 1. Aprilis pag. 16. Quapropter ipse probabilior censeo, *Petrum*, & *Paulum* martyrio fuisse coronatos anno duodecimo exeunte Imperii Neronis, seu anno æræ Christianæ 66. Consulibus *C. Lucio Telesino*, & *C. Svetonio Paulino*. Hoc siquidem anno præsens aderat Romæ Nero, quando illius jussu *Petrus*, & *Paulus* die 29. mensis Junii ejusdem anni occisi sunt. Nec necesse est martyrium *Petri*, & *Pauli* retrahere ad annum undecimum Neronis, seu ad annum Christi 65. sicut visum est *Pagio*, *Bollando*, & *Sobellrato*, nec cum *Clarissimo du Pinio* Doctore Sorbonico ad annum decimum Neronis, seu ad annum Christi 64.

D. Fueruntne conservata nomina Christianorum, qui, Nerone sæviante, sanguinem pro Christo fuderunt?

M. *Baronius* ad annum xv. Imperii Domitiani optime observat, Acta Martyrum, qui in persecutione Neroniana, & in aliis persecutionibus passi sunt, sollicite quidem, & curiose scripta fuisse, quæ tamen in Diocletiana persecutione combusta miserum naufragium fecerunt. Quocirca nemini nunc mirum videri debet, quod in antiquissimis Martyrologiis paucorum Martyrum nomina legantur, quamvis certo certius constet, ingentem eorum fuisse multitudinem.

D. Fueruntne sub aliis Imperatoribus, qui post Neronem Imperii Romani clavum rexerunt, persecutionibus vexati Christiani?

M. Sub *Galba*, *Othone*, & *Vitellio*, qui inter se bellis pugnantibus, diuturnum non gesserunt Imperium, necnon sub *Vespasiano*, & *Tito*, qui optimos inter Imperatores jure censentur, pace posita est Ecclesia. At *Domitianus* anno æræ Christianæ 81. salutatus Imperator, quem *Tertullianus* in Apologetico cap. 5. ob immanem, qua in omnes sæviebat, crudelitatem, *Portionem Neronis* appellat, postquam primores e Senatu viros exilio, bonorum proscriptione, & morte multasset, furorem tandem suum admotis persecutionis facibus in Christianos exacuit, multa que circa decimum quartum, vel decimum quintum Imperii sui annum feralia emisit edicta, quibus plerimi Christiani aut morte affecti aut variis suppliciorum generibus excarnificati, aut in exilium fue-

runt amandati. Imperator *Nerva* hæc *Domitiani* Decessoris sui lata in Christianos Edicta ex Senatus Consulto rescidit, eosque ab exilio revocavit. In hac *Domitiana* persecutione *S. Joannes Evangelista*, teste *Tertulliano* lib. de præscript. cap. 36. postquam in Oleum ignitum fuisse coniectus, indeque salvus & incolumis stupendo miraculo evasisset, fuit deinde in Insulam *Pathmos* relegatus, ubi suam Apocalypsim multis gravidam Mysteriis scripsit, a quo exilio sub Imperatore *Nerva* solutus, rediit *Ephesum* ut suæ provideret Ecclesiæ, quam *Apollonius Thyaneus* insignis id temporis Magus infestabat. In eadem persecutione *Flavius Clemens* Imperatoris *Domitiani* Patruelis, Consul, ob fidem Christi casus est. *Flavia* quoque *Domitilla* ejus uxor, & Imperatoris itidem consanguinea, eandem ob causam militans, in *Pandatariam* insulam relegata est. *Flavia* etiam *Domitilla* Virgo, *Flavii Clementis* Consulis ex *Sore* Neptis ab *Aurelio Sponso* accusata quod Christiana esset, in *Pontiam* Insulam deportata est, atque in carcerem detrusa lentum Martyrium, quod diu constanti animo sustinuit, *Terracina* tandem suo sanguine complevit. Cruentam fuisse hanc *Domitianeam* persecutionem testantur *Lactantius*, & *Eusebius*. In lib. de mortib. persecutorum cap. 3. sic de *Domitiano* effatur *Lactantius*: Cum exerceret invisam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit, quam diutissimum tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet; postquam vero ad persequendum justum Populum instinctu Daemonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum pœnas luit. *Eusebius* vero lib. 3. Hist. Eccl. cap. 17. hæc habet: *Domitianus cum jam multa in multis crudelitatis sue specimina edidisset, nec paucos nobilium, & illustrium virorum Urbis Romæ injuste interemisset, alios præterea innumerabiles summe dignitatis viros, licet insontes, exilio, & bonorum proscriptione multasset, ad extremum Neroniane impietatis, bellique, & odii adversus Deum, successorem se ipsum professus est.*

Hegesippus, apud *Eusebium* lib. 2. Hist. Eccl. cap. 20. refert, quod *Domitianus* Imperator, cum audisset jus Sceptri Judææ posteris *Davidis* Regis assertum esse, vano terrore, instar *Herodis*, percussus, omnes Christi Domini Agnatos ex profapia *Davidis* oriundos summa cum sollicitudine conqueri jussit, quorum aliqui Romam adducti, & ab ipso interrogati, quale esset Regnum Christi? ingenue responderunt, Regnum Christi non esse hujus Mundi, sed Cælestis plane, & Angelicum. Quo responso placatum esse Imperatoris furorem scribit idem laudatus Auctor. Sed quia hujus facti Historici ab *Hegesippo* relati fidem in dubium vocant periti hujus ætatis Critici, nolim ipse pro illius tuenda veritate me vadem, ac sponsorem exhibere. Præstat igitur ut illud in medio relinquamus.

D. Fuitne diuturna hæc Imperatoris *Domitiani* persecutio?

M. Non fuit diuturna, quia, ut mox insinuavi, Imperator *Domitianus* huic persecutioni circa decimum quartum, vel decimum quintum Imperii sui annum dedit initium, & ipse e vivis sublatus est an-

est anno Imperii sui decimo sexto. *Nerva* ejus in Imperio successor nihil contra Christianos molitus est. *Trajanus*, qui post *Nervam* Imperium tenuit, nullis nefastis Edictis pacem Ecclesiæ turbavit, & tamen quæ a Nerone, & *Domitiano* in Christianos lata erant Edicta, vim obtinere voluit. Quin, & popularibus persecutionibus hinc inde in Christianos excitatis occasione dedit *Trajanus* eo rescripto, quo Provinciarum Præfectis præcepit, ut omni adhibita sedulitate, & Imperiali interposita autoritate impedirent, ne Christiani privatos, & clandestinos conventus agerent. *C. Plinius* Bithyniæ Proconsul scripsit ad *Trajanum* Epistolam (quæ est 97. lib. x.) in qua appellat Christianos viros bonos, & ad subeundam pro Religione mortem paratissimos. Cui Epistolæ sic respondit *Trajanus*: Conquirendi non sunt, seu Christiani, si deserantur, & arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque veipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Diis, veniam ex pœnitentia impetret, sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent. In hoc *Trajanus* rescriptum, ceu a recta ratione, & æquitate profusus alienum, jure optimo invehitur *Tertullianus* cap. 20. lib. Apologetici his verbis: O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit, & sevit, dissimulat, & animadvertit. Quid te ipsum censura circumvenis? Si damnas; cur non inquirens? Si non inquirens, cur non & absolvis? Sub Imperio *Trajanus* *S. Ignatius* Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus damnatus ad bestias Romam missus est anno Christi 107. & in Amphiteatro publico Leonibus expositus, ita ab illis voratus est, ut nihil, præter firmiora ossa, superesset, sicut videre est apud *Eusebium* lib. 3. Hist. Eccl. cap. 36. *Simeon* etiam Hierosolymorum Episcopus annos natus 120. jussu *Attici* Consularis post atrocissima verbera in Crucem actus est, & gloriosa morte diuturnæ vitæ finem imposuit, cujus Martyrium *Eusebius* ex *Hegesippo* describit lib. mox laudati cap. 32. Hic autem prætermittere haud possum rem certe singularem, & observatione dignam, quæ furentibus illis popularibus persecutionibus contigit. Cum enim *Arrius Antoninus* Asiæ Proconsul Christianos plusquam *Scythica* crudelitate persequeretur, mortique traderet; turmatim omnes Christiani illius Civitatis, in qua degerebat hic Proconsul, ad ipsius Tribunal convolarunt, ut pro Christo, cujus fidem palam profitebantur, sanguinem profunderent. Quo spectaculo adeo territus est hic Proconsul, ut, postquam aliquot ex his Christianis variis suppliciiis excruciatu jussisset, alios remiserit dicens: Si vos tam ardens mortem oppetendi incessit desiderium, funes & parata habetis præcipitia. Ita ergo, vestra complete vota, ac, si vultis, optatam vobis consciscite necem.

Hæ populares in Christianos motæ persecutiones sub *Hadriano*, qui *Trajanus* successit, suum cursum retinebant. Ast Imperator *Hadrianus*, postquam perlegisset *Quadrati* Atheniensis Episcopi, & *Aristidis* Philosophi libros pro Christiana Religione

Apologeticos, propensorem in Christianos sese exhibuit, inflexus non solum eorum rationibus, sed potissimum permotus litteris *Sereni Granii*, vel *Grani* Asiæ Proconsulis, qui antequam e sua Provincia discederet, eum admonuerat, indignum profus esse, quod Christiani non ex Judiciis, ut fieri solemne est, sed ex tumultuantium Populorum clamoribus ad supplicia raperentur, atque passim per summam immanitatem necarentur. *Quadratus*, inquit *Eusebius* in Chronico, *Discipulus Apostolorum*, & *Aristides Atheniensis* noster *Philosophus* libros pro Christiana Religione *Hadriano* dedere composuit. Et *Serenus Granus* legatus, vir apprime nobilis, litteras ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum, & Sectæ reos fieri. Quibus commotus *Hadrianus* *Minutio Fundano* Proconsuli Asiæ scripsit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos. Hoc Imperatoris *Hadriani* Edicto, quod legitur apud *Eusebium* lib. 4. Hist. Eccl. cap. 9. deservescere cœperunt motæ variis in locis persecutiones, quibus demetebantur Christianorum capita, testatur quippe *S. Hieronymus* in Ep. 84. ad *Magnum* Oratorem, complures Christianos, *Hadriano* imperante, Martyrium passos fuisse. (a)

(a) „ Ex hoc *Hadriani* de Christianis edicto

„ provenisse suspicor, ut tam multæ in Christianis

„ nos calumniæ impingerentur; quos enim ex

„ Christiano tantummodo nomine perimere veta-

„ bant edicta, illos reos nefandorum criminum

„ postulatos ad supplicium trahebant. Hinc cœ-

„ næ *Thiesæ*, hinc sæda commercia, hinc sce-

„ lestorum, & pestium humani generis infames

„ tituli illis dati & objecti.

Imperator *Antoninus Pius*, qui *Hadriano* successit, nullum in Christianos infaustum tulit Edictum. Sed ex Apologia, quam *S. Justinus* Martyr pro Christianis huic Imperatori obtulit, facili negotio colligitur, Præfectos, ac Præsides sub initia Imperii *Antonini Pii* in Christianos sæviisse, quod ne in posterum fieret, datis ad *Larissæos*, ad *Thessalonicenses*, & ad omnes Græcos literis, vetuit Imperator. Nihil fecius, cum istæ locales, ac populares persecutiones necdum sub *Marco Aurelio* *Antonini Pii* successore essent sopitæ, sed potius in dies recrudescere viderentur, ad Commune Asiæ in gratiam Christianorum anno 162. vel, ut alii volunt, 164. scripsit Epistolam *Marcus Aurelius*, in qua, ut videre est apud *Eusebium* lib. 4. Hist. Eccl. cap. 13. hæc habet: Porro de his hominibus, id est Christianis, plurimi Provinciarum Rectores *Divo Patri* nostro scripserunt, quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra Statum Imperii Romani aliquid moliri videantur. Unde in eadem Epistola præcipit Imperator, Christianum eo nomine absolvi, delatorem puniri debere. At proh dolor! hujus Imperatoris Edicto acrius in Christianos motæ persecutiones excanduerunt, nedum fuerunt repressæ. Populi siquidem cæco furore abrepti, omnes, quos noverant, Christianos, qua vi, qua clamoribus, qua concitis ubique tumultibus tanquam gravissimos criminum reos ad necem postu-